

Publij Terentij Aphri
Eunuchus.

Adiectis ex Donato argumentis.



Janne One socalla
Janne One socalla

PARISIIS.

Janne One socalla

Apud Ioannem Roigny, via ad D. Iacobum, sub
basilisco & quatuor elementis.

1547.

Janne One socalla
a. mag. co.

INTERLOCKTORES FABVLAE.

PHAEDRIA adolescens.	CHREMES adolescens rusticus.
PARMENOS seruus.	ANTIPHO adolescens.
THAIS meretrix.	DORIAS ancilla.
GNATO paruitus.	DORVS Eunuchus.
CHAREEA adolescens.	SANGA lixa seruus.
THRASO miles.	SOPHRONA nutrix.
PYTHIAS ancilla.	LACHES senex.

Idiomata personarum & Etymologiae.

PHAEDRIA ab hilaritate morum, cordatus adolescens, & cum morbo suo pugnans. Parmeno, quod sedulo adsit domino suo, callidus, & oser meretricum. Thais à pauore videtur dicta, addita aspiratione. inducitur cordata & ciuilis, ac inter meretrices probis moribus. Gnato, à mandibula, vt edax. fingitur assentator, & callidus. Charea à gaudio, ephebus ad quiduis audax, incogitans, & impotenter amans. Thraso à confidētia, fingitur stolidus & arrogans. Pythias ob calliditatem, aut quod omnia percontetur. Chremes adolescens ruri educatus, eoque ciuiliū blanditiarum insolens, & artium imperitus. Antipho, quod obuius appareat. Dorias, ab hasta, quod in bello capta sit. Dorus, quod dono mittatur Thaidi. Sanga à σάτω, hoc est à componendis sarcinis dictus videtur. fingitur liber, ac domini contemptor, quales ferè coqui. Sophrona, tanquam temperans & modesta. Laches à sortiēdo siue ab intendēdo actionem iniuriarum, pius in filios, & vehemēti ingenio.



CM

Eunuchus Terentij.

ACTA LVDIS MEGALENSIBVS, L. POSTHYMIO, L. COR-
NELIO AEDILIB. CVRVLIB. EGIT L. AMBIVIVS
TVRPIO, L. ATILIVS PRAENESTINVS, TI-
BIIS DVABVS DEXTRIS. GRAECA ME-
NANDRY FACTA SECVNDA. MO-
DOS FECIT FLACCVS, M. VA-
LERIO, C. FANNIO COSS.

C. SVLPITII APOLLINARIS
Periocha.

S Ororem falso dictitatum Thaidis,
Id ipsum ignorans, miles abduxit Thraso:
Ipsique donat. erat hac ciuis Attica.
Eidem eunuchum, quem emerat, tradi iubet
Thaidis amator Phædria, ac rus ipse abit,
Thrasoni oratus biduum concederet.
Ephebus frater Phædriæ puellulam
Cum deperiret, dono missam Thaidi,
Ornatu eunuchi induitur. suadet Parmeno.
Introit, vitiat virginem. sed Atticus
Ciuis repertus frater eius, collocat
Vitiatam ephebo, Phædriam exorat Thraso.

Α' Σηλομ.

Meretrices adolescentem cuius mutuo amore
Tenebatur, exclusit: ei que renocato,
Exclusionis causas reddidit. eius frater
Minor natu virginem, quam miles
Meretrici dono miserat, amare cepit:

A.ij.

*Deductusque in domum meretricis, pro Eunuchō vitiat.
 Reitaque cognita, cum illam se meretrix
 Doleret, ab eodem adolescente placatur:
 Interuentūque fratris eius ciuem cognitam
 Atheniensem, duxit uxorem. miles quoque
 In partem meretricij amoris receptus illuditur.*

Prologus.

S*I quisquam est, qui placere se studeat bonis
 Quāplurimis, & minimè multos ledere:
 In his poëta hic nomen profitetur suum.
 Tum si quis est, qui dictū in se inclemētius.
 Existimat esse, sic existimet: sciat
 Responsum, nō dictū esse, quia lēsit prius:
 Qui bene vertendo, & eas describendo male,
 Ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas:
 Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit,
 Atque à Thesauro scripsit causam dicere
 Prius, vnde petitur aurum, quare sit suum,
 Quā illic qui petit, vnde esset thesaurus sibi,
 Aut vnde in patrium monumentum peruenerit.
 Dehinc ne frustretur ipse se, aut sic cogitet,
 Defunctus iam sum. nihil est quod dicat mihi.
 Is ne erret, moneo: & desinat laceessere.
 Habeo alia multa, quæ nunc condonabitur:
 Quæ proferentur post, si perget ledere
 Ita, vt facere instituit. Nunc quam acturi sumus
 Menandri Eunuchum, postquam AEdiles emerunt,*

Perfecit, sibi vt inspiciundi esset copia.
 Magistratus cum ibi adesset, occæpta est agi.
 Exclamat, furem, non poetam fabulam
 Dedisse, & nihil dedisse verborum tamen:
 Colacem esse Næuij & Plauti veterem fabulam:
 Parasiti personam inde ablatam, & militis.
 Si id est peccatum, peccatum imprudentia est
 Poëta: non qui furtum facere studuerit.
 Id ita esse vos iam iudicare poteritis.
 Colax Menandri est: in ea est parasitus Colax,
 Et miles gloriosus. eas se non negat
 Personas transtulisse in Eunuchum suam
 Ex Græca: sed eas fabulas factas prius
 Latinas scisse sese, id verò pernegat.
 Quod si personis iisdem vti alijs non licet:
 Quis magis licet, currentes seruos scribere:
 Bonas matronas facere, meretrices malas,
 Parasitum edacem, gloriosum militem,
 Puerum supponi, falli per seruum senem,
 Amare, odisse, suspicari? denique
 Nullum est iam dictum, quod non dictum sit prius.
 Quare æquum est vos cognoscere, atque ignoscere,
 Quæ veteres factitarunt, si faciunt noui.
 Date operam, & cum silentio animaduortite:
 Vt pernoscatis quid sibi Eunuchus velit.

A. iij.

395210

5

239501

9



Actus primi Scena prima.

ARGVMENTVM,

Phædria exclusus consultat an redire debeat ad Thaidem. Huic Parmeno suadet, vt animo æquo amoris molestias ferat.

PHAEDRIA adolescens. PARMENO senex.



Vid igitur faciam? non eam, ne nunc quidem

Cum accersor vltro? an potius ita me comparem.

Non perpeti meretricum contumelias?

Excluit: reuocat: redeat: nō, si me obsecrer.

Pa. Si quidem hercle possis, nihil prius, neque fortius:

Verum si incipies, neque perficies gnauiter:

Atque vbi pati non poteris, cum nemo expeter,

Insecta pace, vltro ad eam venies, indicans

Te amare, & ferre non posse. actum est: ilicer,

Peristi: eludet vbi te victum senserit.

Ph. Proin tu, dum est tempus, etiam atque etiam cogita.

Pa. Here, quæ res in se neque consilium, neque modum

Habet vllum, eam consilio regere non potes.

In amore hæc omnia insunt vitia: iniuria,

Suspiciones, inimicitia, inducia,

Bellum, pax rursus. incerta hæc si tu postules

Ratione certa facere, nihilo plus agas,

Quam si des operam, vt cum ratione insanias.

Et quod nunc tute tecum iratus cogitas.

Egone illam? quæ illum? quæ me? quæ non? sine modo,

Mori me malim: sentiet qui vir siem.

Hæc verba, me hercule vna falsa lachrumula,

Quam oculos terendo misere, vix vi expresserit,

Restinguet: & te ultro accusabit: & ei dabis

Ultro supplicium. Ph. o indignum facinus! nunc ego &

Illam scelestam esse, & me miserum sentio:

Et tadet, & amore ardeo: & prudens, sciens,

Vivus, vidensque pereor: nec quid agam, scio.

Pa. Quid agas, nisi vt te redimas captum quam queas

Minimo? si nequeas paululo, at quanti queas:

Et ne te afflictes. Ph. itane suades? Pa. si sapias,

Neque præterquam quas ipse amor molestias

Habet, addas: & illas quas habet, recte feras.

Sed ipsa egreditur nostri fundi calamitas:

Nam quod nos capere oportet, hæc intercipit.

ACTVS PRIMI SCENA II.

ARGVMENTVM.

Thaidis blando sermone victus Phædria, pollicetur se biduum rus concessurum, vt Thraconi interim locus sit apud illam.

THAIS meretrix. PHAEDRIA. PARMENO.

T. Miseram me, vereor ne illud grauius Phædria

Tulerit, neue aliorum, atque ego feci, acceperit,

Quod heri intromissus non est. Ph. totus, Parmeno,

Tremo horreoque postquam aspexi hanc. Pa. bono animo es:

Accede ad ignem hunc, iam calesces plus satis.

T. Quis hic loquitur? ehem, tune eras hic mi Phædria?

A. iij.

*Quid hic stabas? cur non rectà introibas? Pa. ceterum
De exclusione verbum nullum. T. quid taces?*

Ph. Sanè, quia verò hæ mihi patent semper fores:

Aut quia sum apud te primus. T. missa istac face.

Ph. Quid missa? ô Thais Thais, utinam esset mihi

Pars æqua amoris tecum, ac pariter fieret, ut

Aut hoc tibi doleret itidem ut mihi dolet:

Aut ego istuc abs te factum nihili penderem.

T. Ne cruciate obsecro anime mi Phædria.

Non pol quò quenquam plus amem, aut plus diligam,

Eò feci: sed ita erat res: faciundum fuit.

Pa. Credo, ut sit, misera præ amore exclusit hunc foras.

T. Siccine ais Parmeno? age, sed huc qua gratia

Te accersi iussi, ausculta. Ph. fiat. T. dic mihi

Hoc primum, potin' est hic tacere? P. egone? optume.

Verum heus tu, lege hac tibi meam astringo fidem:

Quæ vera audiui, taceo & contineo optume:

Sin falsum, aut vanum, aut fictum est, continuo palàm est.

Plenus rimarum sum: hac atque illac perfluo.

Proin taceri si vis, vera dicito.

T. Samia mihi mater fuit: ea habitabat Rhodi.

Pa. Potest taceri hoc. T. ibi tum matri paruolam

Puellam dono quidam mercator dedit,

Ex Attica hinc abreptam. P. ciuémne? T. arbitror,

Certum non scimus: matris nomen & patris

Dicebat ipsa: patriam, & signa cetera

Neque sciebat, neque per ætatem etiam potuerat.

Mercator hoc addebat, è prædonibus

Vnde emerat, se audisse, abreptam è Sunio.

Mater ubi accepit, cepit studiose omnia

Docere, & educare ita ut si esset filia.

Sororem plerique esse credebant meam.

Ego cum illo, quocum vno rem habebam tum hospite,

Abij huc: qui mihi reliquit hæc quæ habeo omnia.

Pa. Vtrunque hoc falsum est: effluet. T. quæ istuc? Pa. quia

Neque tu vno eras contenta, neque solus dedit:

Nam hic quoque bonam, magnamque partem ad te attulit.

T. Ita est: sed sine me peruenire quod volo.

Interea miles, qui me amare occæperat,

In Cariam est profectus: te interea loci

Cognoui. tute scis. post illa quàm intumum

Habeam te, & mea consilia ut tibi credam omnia.

Ph. Ne hoc quidem tacebit Parmeno. Pa. oh, dubiumne id est?

T. Hoc agite amabo: mater mea illic mortua est

Nuper: eius frater aliquantum ad rem est avidior.

Is hanc ubi forma videt honesta virginem,

Et fidibus scire, pretium sperans, ilico

Producit: vendit. forte fortuna adfuit

Hic meus amicus, emit eam dono mihi,

Imprudens harum rerum, ignarusque omnium.

Is venit. postquam sensit me tecum quoque

Rem habere, fingit causas ne det, sedulo:

Ait, si fidem habeat, se iri præpositum tibi

Apud me: at non id metuat, ne ubi acceperim,

Sese relinquam, velle se illam mihi dare:

Verum id vereri. sed ego quantum suspicor,

Ad virginem animum adiecit. Ph. etiamne amplius?

T. Nihil: nam quæsiui. nunc ego eam mi Phædria,

- Multa sunt causæ quamobrem cupio abducere:*
Primum, quod soror est dicta: præterea ut suis
Restituam, ac reddam. sola sum: habeo hic neminem,
Neque amicum, neque cognatum: quamobrem, Phædria,
Cupio aliquos parare amicos beneficio meo.
Id amabo adiuta me, quod id fiat facilius.
Sine illum priores partes hosce aliquot dies
Apud me habere. nihil respondes? Ph. pessuma,
Ego quicquam cum istis factis tibi respondeam?
Pa. Hei noster, laudo: tandem perdoluit: vir es.
Ph. Aut ego nesciebam quorsum tu ires? parvula
Hinc est abrepta: eduxit mater pro sua:
Soror est dicta: cupio abducere, ut reddam suis.
Nempe omnia hæc nunc verba huc redeunt. denique,
Ego excludor, ille recipitur: qua gratia?
Nisi illum plus amas, quam me: & istam nunc times,
Quæ aduēcta est, ne illum talem præripiat tibi.
T. Egon id timeo? Ph. quid te ergo aliud sollicitat? cedo,
Num solus ille dona dat? nuncubi meam
Benignitatem sensisti in te claudier?
Nonne ubi mihi dixti cupere te ex Aethiopia
Ancillulam, relictis rebus omnibus,
Quæ suæ? eunuchum porro dixti velle te,
Quia solæ utuntur his reginæ: repperi.
Hæc minas viginti pro ambobus dedi.
Tamen contemptus abs te, hæc habui in memoria.
Ob hæc facta abs te spernor. T. quid istuc Phædria?
Quamquam illam cupio abducere, atque hac re arbitror
Id fieri posse maxumè: veruntamen

Potius quàm te inimicum habeam, faciam vt iusseris.

Ph. Vtinam istuc verbum ex animo, ac verè diceres,
Potius, quàm te inimicum habeam, si istuc crederem
Syncerè dici, quiduis possem perpeti.

Pa. Labascit victus vno verbo, quàm cito!

T. Ego non ex animo misera dico? quam ioco
Rem voluisti à me tandem, quin perfeceris?
Ego impetrare nequeo hoc abs te, biduum
Saltem vt concedas solum. Ph. si quidem biduum.
Verùm ne fiant isti viginti dies.

T. Profectò non plus biduum, aut. Ph. aut? nihil moror.

T. Non fiet: hoc modò sine te exorem. Ph. scilicet
Faciundum est quod vis. T. meritò te amo. Ph. benefacis.
Rus ibo: ibi hoc me macerabo biduum.

Ita facere certum est: mos gerendus est Thaidi.

Tu Parmeno huc fac illi adducantur. Pa. maxumè.

Ph. In hoc biduum Thais vale. T. mi Phædria,
Ettu. nunquid vis aliud? Ph. egòne quid velim?

Cum milite isto præsens, absens vt fies:

Dies noctésque me ames, me desideres:

Me somnies, me expectes, de me cogites:

Me speres, me te oblectes, mecum tota sis:

Meus fac sis postremò animus, quando ego sum tuus.

T. Me miseram, forsitan hic mihi parua habeat fidem,
Atque ex aliarum ingenijs nunc me iudicet.

Ego pol, quæ mihi sum conscia, hoc certò scio,

Neque me finxisse falsi quicquam, neque meo

Cordi esse quenquam chariorem hoc Phædria.

Et quicquid huius feci, causa virginis

*Feci: nam me eius spero fratrem propemodum
Iam repperisse adolescentem adeo nobilem: &
Is hodie venturum ad me constituit domum.
Concedam hinc intrò, atque expectabo dum venit.*

ACTVS SECVNDI SCENA I.

ARGVMENTVM,

Phædria rus concedit, id quod Thaidi se facturum dixerat. Illius ex amore immutationem miratur Parmeno: & militis donum ita laudat, vt heri sui eunuchò præferat.

PHAEDRIA. PARMENO.

Ph. **F** Ac ita vt iussi: deducantur isti. Pa. faciã. Ph. at diligèter.
Pa. Fiet. Ph. at maturé. Pa. fiet. Ph. sat in hoc mandatum
est tibi?

Pa. Ah rogitare? quasi difficile sit. vtinam
Tam aliquid inuenire facile possis Phædria,
Quàm hoc peribit. Ph. ego quoque vnà pereò, quod mihi est
carius:

Ne istuc tam iniquo patiari animo. Pa. minimè: quin
Effectum dabo. sed nunquid aliud imperas?

Ph. Munus nostrum ornato verbis, quòd poteris: &
Istum æmulum, quòd poteris, ab ea pellito.

Pa. Memini, tametsi nullus moneas. Ph. Ego rus ibo, atque ibi
manebo.

Pa. Censeo. Ph. sed heustu. Pa. quid vis? Ph. censeri posse me
obfirmare, &

Perpeti ne redeam interea? Pa. té ne? non hercle arbitror.

Nam aut iam reuertère: aut mox noctu te adigèt horsum in-
somnia.

Ph. Opus faciam, vt defatiger vsque, ingratus vt dormiam.

Pa. *Vigilabis lassus: hoc plus facies. Ph. abi sis: nihil dicis Parmeno:*

Eijciunda hercle hæc mollities animi: nimis me indulgeo.

Tandem ego non illa caream, si sit opus, vel totum triduum?

Pa. *hui,*

Vniuersum triduum? vide quid agas. Ph. stat sententia.

Pa. *Dij boni, quid hoc morbi est? adeoñ homines immutarier*

Ex amore, vt non cognoscas eundem esse? hoc nemo fuit

Minus ineptus, magis seuerus quisquam, nec magis continens.

Sed quis hîc est qui huc pergit? at at, hic quidem est parasitus

Gnato

Militis: ducit secum vnà virginem huic dono. papa,

Facie honesta! mirum, ni ego me turpiter hodie hic dabo,

Cum meo decrepito hoc eunucho. hæc superat ipsam Thaidem.

ACTVS SECVNDI SCENA II.

ARGVMENTVM,

20. *Quasi ambulantiem Gnatonis personam inducit, sub cuius verbis corrupti hominum mores ostenduntur: maxime assentatorum qui patellam sequuntur, & ad prandia præstò sunt.*

GNATO parasitus. PARMENO.

G. *D* *Immortales, homini homo quid præstat! stulto intel-*
ligens

Quid interest! hoc adeo ex hac re venit in mentem mihi:

Conueni hodie adueniens quendam mei loci hinc atque ordinis

Hominem, haud impurū, itidem patria qui abligurierat bona.

Video sentum, squalidum, egrum, pannis annisque obsitum.

Quid istuc, inquam, ornati est? quoniam miser quod habui,
perdidi: hem,

Quò redactus sum! omnes noti me, atque amici deserunt.
 Hic ego illū contēpsi prae me. quid homo, inquā, ignauissime?
 Itane paraſti te, vt ſpes nulla reliqua in te fiet tibi?
 Simul conſilium cum re amiſti? vidēni me ex eodē ortum loco?
 Qui color, nitor, veſtitus, quae habitudo eſt corporis?
 Omnia habeo, neque quicquam habeo: nihil cum eſt, nihil
 deſittamen.

At ego infelix, neque ridiculus eſſe, neque plagas pati
 Poſſum. quid tu his rebus credis fieri? tota erras via.
 Olim iſti fuit generi quondam quaestuſ apud ſeculum prius.
 Hoc nouum eſt aucupium: ego adeo hanc primus inueni viam.
 Eſt genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt,
 Nec ſunt: hos conſector: hiſce ego non paro me vt rideant:
 Sed his vltro arrideo, & eorum ingenia admiſor ſimul:
 Quicquid dicunt, laudo: id ruruſum ſi negant, laudo id quoque.
 Negat quiſ? nego. ait? aio. poſtremo imperaui egomet mihi
 Omnia aſſentari. iſt quaestuſ nunc eſt multo vberriſim.

P. Scitum hercle hominem. hic homines proruſ ex ſtultis inſanos
 facit.

G. Dum haec loquimur, interea-loci ad macellum vbi venimus,
 Concurrunt leti mi obuiam Cupedinarij omnes,
 Cetarij, Lanij, Coqui, Fartores, Piſcatores, Aucupes:
 Quibus & re ſalua & perdita proſueram, & proſum ſepe.
 Salutant: ad caenam vocant: aduentum gratulantur.
 Ille vbi miſer, famelicus, videt me eſſe in tantum honorem,
 Ettam facile victum quaerere: ibi homo caput me obſecrare,
 Vt ſibi liceret diſcere id de me. ſectari iuſſi,
 Si pote, tanquam philoſophorum habent diſciplinæ ex ipſiſ
 Vocabula, paraſiti itidem vt Gnatonici vocentur.

- P. Vidén'otium, & cibis quid faciat alienus? G. sed ego cesso
Ad Thaidem hanc deducere, & rogitare ad cænā vt veniat.
Sed Parmenonem ante ostium Thaidi tristem video,
Riuales seruum. salua res est: nimirum hic homines frigent.
Nebulonem hunc certum est ludere. P. hinc hoc munere ar-
bitrantur
Suam Thaidem esse. G. plurima salute Parmenonem
Summū suū impartit Gnato. quid agitur? P. statur. G. video.
Numquidnam hic quod nolis vides? P. te. G. credo: at nun
quid aliud?
- P. Quī dum? G. quia tristis es. P. nihil equidem. G. ne sis.
sed quid videtur
Hoc tibi mancipium? P. non malum hercle. G. vro homi-
nem. P. vt falsus animi est!
- G. Quā hoc munus gratum Thaidi arbitrare esse? P. hoc
nunc dices,
Eiectos hinc nos. OMNIUM rerum heus vicissitudo est.
- G. Sex ego te totos Parmeno hos menses quietum reddam:
Ne sursum deorsum cursites, néue vsque ad lucem vigiles.
Ecquid beo te? P. mén? papæ! G. sic soleo amicos. P. laudo.
- G. Detineo te, fortasse tu profecturus aliò fueras.
- P. Nusquam. G. tum tu igitur paulum da mihi opera fac vt
admittar
Ad illā. P. age modo, nunc tibi patet fores hæ, quia istam ducis.
- G. Num quem euocari hinc vis foras? P. sine biduū hoc prætereat:
Qui mihi nunc vno digitulo fores aperis fortunatus,
Ne tu istas faxo calcibus saepe insultabis frustra.
- G. Etiam nunc hic stas Parmeno? cho numnā hic relictus custos,
Ne quis fortè internuncius clām à milite ad istam cursitet?

Matias mico. L
MSE

P. *Facetè dictum: mira verò militi quæ placeant.
Sed video herilem filium minorem huc aduenire.
Miror quid ex Peiræo abierit: nam ibi custos publicè est nunc.
Non temere est, & properans venit, nescio quid circumspicit.*

ACTVS SECVNDI SCENA III.

ARGVMENTVM,

Chærea laudat fortè conspectam virginem: queritur subductâ.
Parmeno ostendit quî fieri possit, vt illa potiatur.

CHÆREA adolescens. PARMENO.

C. *O Ccidi:
Neque virgo est vsquam, neque ego, qui illam è conspe-
ctu amisi meo.
Vbi quæram? vbi inuestigem? quem perconter? quam insti-
tam viam?
Incertus sum. vna hæc spes est, vbi vbi est, diu celari non potest.
O faciem pulchram! deleo omnes dehinc ex animo mulieres.
Tædet harum quotidianarum formarû. P. ecce autem alterû,
Nescio quid de amore loquitur. ô infortunatum seneni.
Hic verò est, qui si amare occæperit, ludum iocûmque
Dices fuisse illum alterum, præut huius rabies quæ dabit.
C. Vt illum dij deæque senium perdant, qui me hodie remora-
tus est:
Méque adeò, qui restiterim: tum autem, qui illum non floc-
ci fecerim.
Sed eccum Parmenonem. salve. P. quid tu es tristis? quid due es
alacris?
Vnde is? C. ego nescio hercle neq; vnde eam, neque quorsum eâ:
Ita prorsum oblitus sum mei.*

P. Quî quæso? C. amo. P. hem. C. nunc te Parmeno ostendes
qui vir sies.

Scis te mihi sæpe pollicium esse, Chærea, aliquid inueni
Modò quod ames: in ea re vtilitatem ego faciam vt cognoscas
meam:

Cum in cellulâ ad te patris penum omne congerebâ clanculum.

P. Age inepte. C. hoc hercle factum est, fac sis nunc promissa
appareant,

Sive adeò digna res est, vbi tu nervos intendas tuos:

Haud similis virgo est virginum nostrarû, quas matres student

Demissis humeris esse, vincto pectore, vt graciles sient.

Siqua habitior paulo, pugilem esse aiunt: deducunt cibum,

Tamet si bona est natura: reddunt curatura iunceas.

Itaque ergo amantur. P. quid tua istac? C. noua figura oris.

P. papæ!

C. Color verus, corpus solidum, & succi plenum. P. anni? C.
anni sexdecim.

P. Flos ipse. C. hanc tu mihi vel vi, vel clâm, vel precario
Fac tradas: mea nihil refert, dum potiar modò.

P. Quid? virgo cuiâ est? C. nescio hercle. P. vnde est? C. tan-
tundem. P. vbi habitat?

C. Ne id quidem. P. vbi vidisti? C. in via. P. quâ ratione
amisti? C. id equidem

Adueniens mecum stomachabar modò: neque

Quenquam esse ego hominem arbitror, cui magis bona

Felicitates omnes aduersa sient.

P. Quid hoc est sceleris? C. perij. P. quid factum est? C. rogas?

Patris cognatum, atque æqualem, Archidemidem

Nostin? P. quid nî? C. is, dum sequor hanc, fit mihi obuiam.

B.i.



25429

- P. Incommodè hercle. C. imò enim uero infelicitè.
 Nam incommoda alia sunt dicenda, Parmeno.
 Illum liquet mihi deierare his mensibus
 Sex, vel septem prorsum non uidisse proxumis:
 Nisi nunc, cum minimè vellem, minimè que opus fuit.
 Eho, nonne hoc mōstri simile est? quid ais? P. maxumè.
- C. Continuò accurrit ad me, quàm longè quidem,
 Incuruus, tremulus, labijs demissis, gemens.
 Heus heus, tibi dico Charea, inquit, restiti.
 Scin' quid ego te volebam? dic. cras est mihi
 Iudicium. quid tum? vt diligenter nuncies
 Patri, aduocatus mane mihi esse vt meminerit.
 Dum hac dicit, abiit hora: rogo nunquid velit.
 Rectè, inquit: ab eo. cum huc respicio ad virginem,
 Illa sese interea commodum huc aduorterat
 In hanc nostram plateam. P. mirum ni hanc dicit, modo
 Huic quæ data est dono. C. huc cum aduenio, nulla erat.
- P. Comites secuti scilicet sunt virginem?
 C. Verum: parasitus cum ancilla. P. ipsa est scilicet.
 Desine: iam conclamatum est. C. alias res agis.
- P. Istuc ago quidem. C. nostin' quæ sit? dic mihi: aut
 Vidistin'? P. vidi: noui: scio quò abducta sit.
- C. O Parmeno mi, nostin'? P. noui. C. Et scis vbi fiet?
 P. Huc deducta est ad Thaidem meretricem: ei dono data est.
- C. Quis is est tam potens cū tanto munere hoc? P. miles Thraso,
 Phædriæ riualis. C. duras fratris partes prædicas.
- P. Imò enim si scias quod donum huic dono contrà comparet:
 Tum magis id dicas. C. quodnam quæso hercle? P. eunu-
 chum. C. illūm ne obsecro,

- Inhonestum hominē, quem mercatus est here, senē, mulierem?*
- P. *Istunc ipsum.* C. *homo quatiētur certē cum dono foras.*
Sed istam Thaidem non sciui nobis vicinam. P. *haud diu est.*
- C. *Perij, nunquā ne etiam me illam vidiſſe? ehodum dic mihi:*
Est ne, vt fertur, forma? P. *sanē.* C. *at nihil ad noſtrā hanc.*
 P. *alia res est.*
- C. *Obsecro hercle Parmeno, fac vt potiar.* P. *faciam ſedulō, ac*
Dabo operam: adiuvabo. nunquid me aliud vis? C. *quō nūc*
is? P. *domum,*
Vt mancipia hæc, ita vt inſit frater, deducam ad Thaidem.
- C. *O fortunatum iſtū eunuchū, qui quidem in hanc detur domū!*
- P. *Quid ita?* C. *rogitas? ſumma forma ſemper conſervam domi*
Videbit, colloquetur, aderit vnā in vnīs adibus,
Cibum nonnunquam capiet cum ea, interdum propter dormiet.
- P. *Quid ſi nunc tute fortunatus ſias?* C. *quare Parmeno?*
Reſponde. P. *capias tu illius veſtem.* C. *veſtem! quid tū poſtea?*
- P. *Pro illo te ducam.* C. *audio.* P. *te eſſe illum dicam.* C. *intellego.*
- P. *Tu illis fruare commodis, quibus tu illum dicebas modō:*
Cibum vnā capias, adſis, tangas, ludas, propter dormias:
Quandoquidem illarum neque quiſquam te nouit, neque ſcit
qui ſies:
- Præterea forma, ætas ipſa eſt, facilē vt pro eunucho probes.*
- C. *Dixi pulchrē: nunquam vidi melius conſilium dari.*
Age, eamus intrō: nunc iam orna me: abduc, duc, quantū potes.
- P. *Quid agis? iocabar equidem.* C. *garris.* P. *perij, quid ego egi*
mifer?
- Quō trudiſ? perculeris iam tu me? tibi equidem dico, mane.*
- C. *Eamus.* P. *Pergin'?* C. *certum eſt.* P. *vide ne nimium cali-*
dum hoc ſit modo.

C. Non est profectò: sine. P. A TENIM istac in me cudetur faba: ah,

Flagitiũ facimus. C. an id flagitiũ est, si in domũ meretriciam Deducar. & illis crucibus, quæ nos, nostramque adolescentiam Habent despicatam, & quæ nos semper omnibus cruciant modis,

Nunc referam gratiam, atque eas itidem fallam, vt ab illis fallimur?

An potius hac pati? æquum est fieri, vt à me ludatur dolis:

Quod qui rescierint, culpent: illud merito factũ omnes putent.

P. Quid? istuc si certũ est facere, facias: verũ ne post conferas Culpam in me. C. non faciam. P. iubésne? C. iubeo, co-go, atque impero.

P. Nunquam defugiam auctoritatem: sequere. C. Di vor-tant bene.

ACTVS TERTII SCENA I.

ARGVMENTVM,

Assentatur Gnato, assentanti credit Thraso, seque & facta sua immodicè iactat. Consulit item Gnato, ne miles purget se Thais di de amore Pamphilæ: imò potius augeat suspicionem, ita par pari relaturus.

THRASO miles. GNATO. PARMENO.

T. M Agnas verò agere gratias Thais mihi?

G. Ingenteis. T. ain' tu, leta est? G. non tam ipso quidem

Dono, quàm abs te datum esse: id verò serio

Triumphat. P. huc prouiso, vt vbi tempus fiet,

Deducam. sed eccum militem. T. est istuc datum

Profectò, mihi vt grata sint quæ facio omnia.

G. Aduorti hercle animum. T. vel rex semper maxumas

Mihi agebat, quicquid feceram: alijs non item.

G. Labore alieno magnam partam gloriam,

- Verbis saepe in se trans mouet, qui habet salem
 Quod in te est. T. habes. G. rex te ergo in oculis. T. scilicet.
 G. Gestire. T. verum credere omnem exercitum,
 Consilia. G. mirum. T. tum sicubi eum satietas
 Hominum, aut negotij si quando odium ceperat,
 Requiescere vbi volebat, quasi: nostin? G. scio:
 Quasi vbi illam expueret miseriam ex animo. T. tenes.
 Tum me conuiuiam solum abducebat sibi. G. hui,
 Regem elegantem narras. T. imò sic homo est
 Per paucorum hominum. G. imò nullorum arbitror,
 Si tecum viuit. T. inuidere omnes mihi:
 Mordere clanculum: ego non flocci pendere.
 Illi inuidere miserè: verum vnus tamen
 Impense, elephantis quem Indicis praefecerat.
 Is vbi molestus magis est, quaeso, inquam, Strato,
 Eò ne es ferox, quia habes imperium in belluas?
 G. Pulchrè me hercle dictum & sapienter: papa!
 Iugularas hominem, quid ille? T. mutus ilico.
 G. Quid ni esset? P. Di vestram fidem, hominem perditum,
 Miserumque, & illum sacrilegum. T. quid? illud Gnato,
 Quo pacto Rhodium tetigerim in conuiuium,
 Nunquid tibi dixi? G. nunquam: sed narra, obsecro.
 Plus millies iam audiui. T. vnà in conuiuium
 Erat hic, quem dico, Rhodius adolescentulus:
 Fortè habui scortum: cepit ad id alludere,
 Et me irridere. quid ais, inquam, homo impudens?
 LEVS tute es, & pulpamentum queris. G. ha. ha, he.
 Quid est? G. facete, lepidè, laute: nihil supra.
 Tuum obsecro ne hoc dictum erat? vetus credidi.

B. iij.



T. Audieras? G. saepe, & fertur in primis. T. meum est.

G. Dolet dictum imprudenti adolescenti, & libero.

P. Atte Dñi perdant. G. quid ille quaeso? T. perditus:

Risu omnes qui aderant, emoriri: denique

Metuebant omnes iam me. G. non iniuria.

T. Sed heus tu, purgóni ego me de istac Thaidi,

Quòd eam me amare suspicatur? G. nihil minus,

Imò magis auge suspicionem. T. cur? G. rogas?

Scin? siquando illa mentionem Phadriae

Facit, aut si laudat, te ut malè vrat? T. sentio.

G. Id ut ne fiat, haec res sola est remedio:

Vbi nominabit Phadriam, tu Pamphilam

Continuò. siquando illa dicet, Phadriam

Intromittamus comessatum: tu, Pamphilam

Cantatum prouocemus. si laudabit haec

Illius formam: tu huius contrà. denique

Par pari referto, quod eam mordeat.

T. Si quidem me amaret: tum istuc prodesset Gnato.

G. Quando illud quod tu das, expectat atque amat,

Iandudum amat te: iandudum illi facile fit

Quod doleat: metuet semper, quem ipsa nunc capit

Fructum, nequando iratus tu aliò conferas.

T. Bene dixti: at mihi istuc non in mentem venerat.

G. Ridiculum, non enim cogitaras: ceterum

Idem hoc tute melius quanto inuenisses Thraso!



EUNUCHVS. 23
ACTVS TERTII SCENA II.
ARGVMENTVM,

¶ Parmeno Eunuchum & AEthiopissam, Phædriæ munera tradit
Thaidi, & vti iussus erat, verbis ornat. Eidem Thraso, & para-
situs insultant.

THAIS. THRASO. PARMENO. GNA-
TO. PYTHIAS ancilla.

- Th. **A** Vdire vocem visa sum modo militis:
Atque eccum, salue mi Thraso. Thr. ô Thais mea,
Meum suauium, quid agitur? ecquid nos amas
De fidicina istac? Pa. quàm venustè! quod dedit
Principium adueniens! Tha. plurimum merito tuo.
G. Eamus ergo ad cœnam: quid stas? Pa. hem alterum:
Ex homine hunc natum dicas. Tha. vbi vis, non moror.
Pa. Adibo, atque aſſimulabo quasi nunc exeam.
Iturâ ne Thais quopiam es? Tha. hem Parmeno,
Bene fecisti: hodie itura. P. quò? Th. quid, hunc non vides?
Pa. Video, & me tædet. vbi vis, dona ad sunt tibi
A Phædria. Thr. quid stamus? cur non imus hinc?
Pa. Quæſo hercle vt liceat (pace quod fiat tua)
Dare huic quæ volumus: conuenire, & colloqui.
Thr. Perpulchra credo dona, haud nostris similia.
Pa. Res indicabit. heus iubete istos foras
Exire, quos iuſſi, ocyus. procede tu huc:
Ex AEthiopia est vsque hæc. Thr. hîc sunt tres minæ.
G. Vix. Pa. vbitu es Dore? accede huc. hem eunuchum tibi,
Quàm liberali facie! quàm etate integra!
Ita me Di ament, honestus est. Pa. quid tu ais Gnato?
Nunquid habes quod contemnas? quid tu autem Thraso?
B. iij.

Alfonsus
1086

22

21905

2

- Tacent: satis laudant. fac periculum in literis,
 Fac in palestra, in musicis: quæ liberum
 Scire æquum est adolescentem, solertem dabo.
- Thr. Ego illum eunuchum, si fiet opus, vel sobrius.
- Pa. Atque hæc qui misit, non sibi soli postulat
 Te viuere, & sua causa excludi ceteros.
 Neque pugnas narrat, neque cicatrices suas
 Ostentat, neque tibi obstat, quod quidam facit.
 Verum, ubi molestum non erit, ubi tu voles,
 Ubi tempus tibi erit, sat habet si tum recipitur.
- Thr. Apparet seruum hunc esse domini pauperis
 Miserique. G. nam hercle nemo posset, sat scio,
 Qui haberet qui pararet alium, hunc perpeti.
- Pa. Tace tu, quem ego esse puto infra omnes infimos
 Homines. nam qui huic animum assentari induxeris,
 E FLAMMATE petere cibum posse arbitror.
- Thr. Idem ne imus? Tha. hos prius introducā, & quæ volo,
 Simul imperabo: postea continuò exeo.
- Thr. Ego hinc abeo, tu istanc opperire. Pa. haud conuenit
 Vnà ire amica cum, imperatorem in via.
- Thr. Quid tibi ego multa dicam? domini similis es.
- G. Ha. ha. he. Thr. quid rides? G. istuc quod dixi modò:
 Et illud de Rhodio dictum cum in mentem venit.
 Sed Thais exit. Thr. abi, præcurre, ut sint domi
 Parata omnia. G. fiat. Tha. diligenter Pythias
 Fac cures, si Chremes huc fortè aduenerit,
 Ut ores, primum ut maneat: si id non commodum est,
 Ut redeat: si id non poterit, ad me adducito.
- Py. Ita faciam. Tha. quid? quid aliud volui dicere?

*Hem, curate istam diligenter virginem:
Domi adfatis facite. Thr. eamus. Tha. vos me sequimini.*

ACTVS TERTII SCENA III.

ARGVMENTVM,

Chremes probatus adolescens amari se à Thaide suspicatur,
quem amorem effugere studet.

CHREMES adolescens. PYTHIAS.

Ch. **P** Rosetto quanto magis magisque cogito,
Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum,
Ita me video ab ea astute labefactarier.
Iam tum cum primum iussit me ad se accersier:
(Roget quis, quid tibi cum illa? ne noram quidem.)
Vbi veni, causam ut ibi manerem, repperit.
Aut rem diuinam fecisse sese, & rem seriam
Velle agere mecum. iam tum erat suspicio,
Dolo malo hæc fieri omnia: ipsa accumbere
Mecum, mihi sese dare, sermonem querere.
Vbi friger, huc euasit, quàm pridem pater
Mihi & mater mortui essent: dico iandiu.
Rus Sunij ecquod habeam, & quàm longè à mari.
Credo ei placere hoc: sperat se à me auellere.
Postremo, ecqua in die parua perisset soror:
Ecquis cum ea vnà: quid habuisset, cum perijt:
Ecquis eam posset noscere. hæc cur queritet:
Nisi illa forte, quæ olim perijt paruula
Soror, hanc se intendit esse, ut est audacia?
Verum ea si viuit, annos nata est sedecim,
Non maior: Thais, ego quàm sum, maiuscula est.

Misit porro orare, ut venirem serio.

Aut dicat quid volt, aut molesta ne fiet:

Non hercle veniam tertio. heus heus. P. hic quis est?

C. Ego sum Chremes. P. ô capitulum lepidissimum.

C. Dico ego mihi insidias fieri. P. Thais maximo

Te orabat opere, ut cras redires. C. rus eo.

P. Fac amabo. C. non possum, inquã. P. at apud nos hîc mane,

Dum redeat ipsa. C. nihil minus. P. cur. mi Chremes?

C. Malam rem abis hinc? P. si stucita certum est tibi,

Amabo, ut illuc transeas, ubi illa est. C. eo.

P. Abi Dorias, citò hunc deduce ad militem.

ACTVS TERTII SCENA IIII.

ARGVMENTVM,

Inducit personam cui narraturus est Chærea, quæ intus patrarit.
Hoc ideo fit, ut populus percipiat auribus, quod honestis oculis
subiici nequit.

ANTIPHO adolescens.

HEri aliquot adolescentuli coimus in Peiræo,
In hunc diem ut de symbolis essemus. Chæream ei rei

Præfecimus. dati annuli: locus, tempus constitutum est.

Præterijt tempus: quo in loco dictum est, parati nihil est.

Homo ipse nusquam est: neque scio quid dicam, aut quid
coniectem.

Nunc mihi hoc negoti ceteri dedere, illum ut quæram:

Idque adeo visam, si domi est. quisnam hinc à Thaide exit?

Is est, an non est? ipse est. quid hoc hominis! qui hic orna-
tus est!

Quid illud mali est! nequeo satis mirari, neque conijcere:

Nisi, quicquid est, procul hinc libet prius quid sit sciscitari.

EVNVCHVS. 27
ACTVS TERTII SCENA V.
ARGVMENTVM,

☛ Chærea foras profiliens, exultat, quod virgine potitus sit. Quid intus patrarit, narrat fortè obuio Antiphoni.

CHÆREA. ANTIPHO.

C. **N**Unquis hîc est? nemo est. nunquis hinc me sequitur? nemo homo est.

Iâm ne erumpere hoc licet mihi gaudium? pro Iuppiter,

Nunc est profectò, interfici cum perpeti me possum,

Ne hoc gaudium contamineat vita aegritudine aliqua.

Sed neminè mne curiosum interuenire nunc mihi,

Qui me sequatur? quique iam rogitando obtundat, enecet:

Quid gestiam, aut quid letus sim: quò pergam: vnde emergam: vbi siem

Vestitum hunc naetus: quid mihi quæram: sanus sim, an ne insaniam?

Adibo: atque ab eo gratiam hanc, quam video velle, inibo.

A. Chærea, quid est quod sic gestis? quid ve sibi hic vestitus querit?

Quid est quòd letus sis? quid tibi vis? satini sanus? quid me

Aspectas? quid taces? C. ô festus dies hominis! amice

Salve: nemo est quem ego magis nunc cuperem videre, quàm te.

A. Narra istuc quæso quid fiet. C. imò ego te obsecro hercle vt audias.

Nostini hanc, quam amat frater? A. noui, nempe opinor Thaidem.

C. Istam ipsam. A. sic commemoreram. C. quædam hodie est ei dono data

Virgo. quid ego eius tibi nunc faciem prædicem aut laudem Antipho:



Cum ipsum me noris, quàm elegans formarum spectator siem?
 In hac cōmotus sum. A. ain' tu? C. primam dices scio, si videris.
 Quid multa verba? amare cœpi. forte fortuna domi
 Erat quidam eunuchus, quem mercatus fuerat frater Thaidi:
 Neque is deductus etiā tum ad eam. submonuit me Parmeno
 Ibi seruus, quod ego arripui. A. quid id est? C. tacitus, citius
 audies:

Vt vestem cum eo mutem, & pro illo iubeam me illuc ducier.
 A. Pro eunuchōn'. C. sic est. A. quidnam ex ea re tandem vt
 caperes commodi?

C. Rogas? viderem, audirem, essem vnā quacum cupiebam,
 Antipho.

Num parua causa, aut parua ratio est? traditus sum mulieri.
 Illa ilico vbi me accepit, leta verò ad se abducit domum.

Commendat virginem. A. cui? tibine? C. mihi. A. satis
 tutò tamen.

C. Edicit, ne vir quisquam ad eam adeat: & mihi, ne abscedam,
 imperat:

In interiore parte vt maneam solus cum sola. annuo,
 Terram intuens modeste. A. miser. C. ego, inquit, ad cœnam
 hinceo.

Abducit secū ancillas pauca, quæ circū illam essent, manent
 Nouitiæ puella. continuo hæc adornant vt lauet.

Adhortor properent. dum apparatur, virgo in conclauis sedet
 Suspectans tabulam quandam pictam, vbi inerat pictura
 hæc, Iouem

Quo pacto Danaë misisse aiunt quondam in gremium im-
 brem aureum.

Egomet quoque id spectare cœpi: & quia consimilem luserat

Iam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi,
Deum sese in hominem conuertisse, atque per alienas tegulas
Venisse clanculum per impluium: fucum factum mulieri.

At quem deum? qui templa celi summa sonitu concutit,
Ego homuncio hoc non facerè? ego illud verò ita feci, ac lubens.
Dum hac mecum reputo, accersitur lauatum interea virgo:
It. lau it. redit. deinde illam in lecto illa collocant.

Sto expectans, siquid mihi imperent. venit vna, Heus tu, in-
quit, Dore,

Cape hoc flabellum, & ventulum huic sic facito, dū lauamur:
Vbi nos lauerimus, si voles, lauato. accipio tristis.

A. Tum equidem istuc os tuum impudēs videre nimium vellem:
Quis esset status, flabellum tenere te, asinum tantum.

C. Vix elocuta est hoc, foras simul omnes prouunt se:
Abeunt lauatum: perstrepunt, ita vt fit, domini vbi absunt.

Interea somnus virginem opprimit: ego limis aspecto
Sic per flabellum clanculum, & simul alia circumspecto,
Satini explorata sint. video esse. pessulum ostio obdo.

Quid tum? C. quid tum fatue? A. fateor. C. an ego oc-
casionem

Mihi ostentatam tam breuem, tam optatam, tam insperatam,
Amitterem? tum pol ego is essem verò, qui assimulabar.

A. Sanè hercle vt dicis. sed interim de symbolis quid actum est?

C. Paratum est. A. frugi es: vbi? domini? C. imò apud liber-
tum Discum.

A. Perlongè est: sed tanto ocyus properemus. muta vestem.

C. Vbi mutem? perij: nam domo exulo: nunc metuo fratrem,
Ne intus sit: porrò autem, pater ne rure redierit iam.

A. Eamus ad me: ibi proximum est vbi mutes. C. rectè dicis,



*Eamus. & de istac simul, quo pacto porrò possim
Potiri, consilium volo capere vnà tecum. A. fiat.*

ACTVS QVARTI SCENA I.

ARGVMENTVM,

☛ Dorias ancilla hîc narrat, quid in conuiuio militis actum sit.

DORIAS.

I Ta me di bene ament, quantum ego illum vidi, nonnihil
timeo misera,
Ne quam ille hodie insanus turbam faciat, aut vim Thaidi:
Nam postquã iste aduenit Chremes adolescens frater virginis,
Militem rogat vt illum admitti iubeat. ille continuò irasci,
Neque negare audere. Thais porrò instare vt hominẽ inuitet.
Id faciebat retinendi illius causa: quia illa quæ cupiebat
De sorore eius indicare, ad eam rem tempus non erat.
Inuitat tristis, mansit ibi. illa cum illo sermonem occipit.
Miles verò sibi putare adductum ante oculos amulum,
Voluit facere contrà huic egrè: heus, inquit, puer Pamphilam
Accerse, vt delectet hîc nos. illa exclamat, minimè gentium:
In conuiuium illam? miles tendere inde ad iurgium.
Interea aurum sibi clàm mulier demit: dat mihi vt auferam:
Hoc est signi, vbi primum poterit, se illinc subducet, scio.

ACTVS QVARTI SCENA II.

ARGVMENTVM,

☛ Secum cogitans Phædria, quæ sit intercepti amoris passurus in
commoda, si totum biduum ruri manserit, vincente amore in
urbem redit.

PHÆDRIA.

D Vm rus eo, cæpi egomet mecum inter vias
(Ita vt sit, vbi quid in animo est molestie)

*Aliam rem ex alia cogitare, & ea omnia in
 Peiorem partem. quid opus est verbis? dum hæc puto,
 Præterij imprudens villam: longè iam abieram.
 Cum sensi, redeo rursum. malè verò me habens,
 Vbi ad ipsum veni diuerticulum, constiti:
 Occæpi mecum cogitare, hem, biduum hîc
 Manendum est soli sine illa? quid tum postea?
 Nihil est. quid, nihil? si non tangendi copia est,
 Ebo, ne videndi quidem erit? si illud non licet,
 Saltem hoc licebit: certè extrema linea
 Amare, haud nihil est. villam prætereo sciens.
 Sed quid hoc est, quòd timida subito egreditur Pythias?*

ACTVS QVARTI SCENA III.
 ARGVMENTVM.

¶ Pamphilam ab eunuchò vitiatam magnopere queritur Pythias.
 miratur Phædria: atque ita ex illius querela, & huius errore, mul-
 tum delectationis spectator capit.

PYTHIAS. PHAEDRIA. DORIAS.

Py. *V* Bi ego illum scelerosum misera, atque impium inueniam?
 aut vbi quæram?

*Hocine tam audax facinus facere esse ausum? Ph. perij:
 hoc quid sit, vereor.*

Py. *Quin etiam in super scelus, postquam ludificatus est virginem,
 Vestem omnem miserè discidit: tum ipsam capillo conscidit.*

Ph. Hem. Py. *qui nunc si detur mihi,
 Vt ego vnguibus facile illi in oculos inuolem venefico?*

Ph. *Nescio quid profectò absente nobis turbatum est domi.*

Adibo. quid istuc? quid festinas, aut quem quæris Pythia?

Py. Hem Phædria, egon? quem quæram? abi hinc quòd dignus es

38. 200

2

Cum donis tuis tam lepidis. Ph. quid istuc est rei?

Py. Rogas me? eunuchum quē dedisti nobis, quas turbas dedit?

Virginem quā herē dederat dono miles, vitiauit. Ph. quid ais?

Py. Perij. Ph. temulenta es. Py. vinam sic sint qui mihi malē volunt.

D. Hau, obsecro mea Pythias, quid istuc nam monstri fuit?

Py. Insanis: quī istuc facere eunuchus potuit? Py. ego illum nescio

Qui fuerit. hoc quod fecit, res ipsa indicat.

Virgo ipsa lachrumat: neque cum rogitis quid sit, audet dicere.

Ille autem bonus vir nusquam apparet: etiā hoc misera suspicor,

Aliquid domo abeuntem abstulisse. Ph. nequeo mirari satis,

Quō ille abire ignavos possit longius, nisi si domum

Fortē ad nos redierit. Py. vise amābo num sit. Ph. iam faxo scias.

D. Perij, obsecro tam infandū facinus meatu, ne audiui quidem.

Py. At pol ego amatores audieram esse mulierum eos maximos,

Sed nihil posse. verū misera non in mentem venerat:

Nam illum aliquō conclussem: neque illi commissem virginē.

ACTVS QVARTI SCENA III.

ARGVMENTVM,

Hic ridiculo quodam & periucundo errore spectatores oblectantur. Phædria enim credit eunuchū quæri, quem dono Thaidi dederat, & hunc iratus adoritur, ut virginis stupratorem. signis tandem & argumentis comperit à Chærea fratre perpetrātū scelus.

PHAEDRIA. DORVS eunuchus.

PYTHIAS. DORIAS.

Ph. EXI foras sceleste. at etiam restitas?

Fugitiue prodi, male conciliate. Do. obsecro. Ph. oh,

Illud vide os vt sibi distorsit carnufex.

Quid huc creditio est? quid vestis mutatio est?

*Quid narras? paululum siceffassem Pythia,
Domi non offendifsem: ita iam ornabat fugam.*

*Py. Habésne hominem amâbo? Ph. quid ni habeam? Py. ô
factum bene.*

Do. Istuc pol verò bene. Py. vbi est? Ph. rogitas? non vides?

*Py. Videam obsecro, quem? Ph. hunc scilicet. Py. quis hic est
homo?*

*Ph. Qui ad vos deductus hodie est. Py. hunc oculis suis
Nostrarum nunquam quisquam vidit, Phædria.*

*Ph. Non vidit! Py. an tu hunc credidisti esse obsecro
Ad nos deductum? Ph. nanque aliū habui neminē. Py. hau,
Ne comparandus hic quidem ad illum est. ille erat
Honestæ facie & liberali. Ph. ita visus est
Dudum, quia varia veste exornatus fuit:
Nunc eo tibi videtur fædus, quia illam non habet.*

*Py. Tace obsecro, quasi verò paulum intersiet:
Ad nos deductus hodie est adolescentulus,
Quem tu verò videre velles Phædria.*

*Hic est vetus, vietus, veterinosus, senex,
Colore mustellino. Ph. hem, quæ hæc est fabula?*

Eò redigis me, vt quid egerim, egomet nesciam.

Eho tu, emîn' egote? Do. emisti. Py. iube mihi denuo

Respondeat. Ph. roga. Py. venistin' hodie ad nos? negat.

At ille alter venit, annos natus sedecim,

Quem secū adduxit Parmeno. Ph. agedum hoc mihi expedi

Primum: istam quam habes, vnde habes vestem? taces?

Monstrum hominis: non dicturus? Do. venit Cherea.

C.i.

Ph. Fraterne? Do. ita. Ph. quando? Do. hodie. Ph. quàm dudum? Do. modò.

Ph. Quicum? Do. cum Parmenone. Ph. norásne eum prius? Do. Non: nec quis esset, vnquam audieram dicier.

Ph. Vnde igitur fratrem meum esse sciebas? Do. Parmeno Dicebat eum esse: is dedit hanc mihi vestem. Ph. occidi,

Do. Meam ipse induit: pòst vnà ambo abierunt foras.

Py. Iam satis credis sobriam esse me, & nihil mentitam tibi?

Iam satis certū est virginem vitiatā esse? Ph. age nunc bellua, Credis huic quod dicat? Py. quid isti credā? res ipsa indicat.

Ph. Concede istuc paululum: audin? etiam nunc paululum sat est: Dicdum hoc rursum, Charean tuam vestem detraxit tibi?

Do. Factum. Ph. & ea est indutus? Do. factum. Ph. & pro te huc deductus est? Do. ita.

Ph. Iuppiter magne, ô scelestum atque audacem hominem! Py. vae mihi,

Etiam nunc non credis indignis nos esse irrisas modis?

Ph. Mirum ni tu credas quod iste dicat: quid agam, nescio.

Heus tu negato rursum: possumne hodie ex te exculpere

Verum? vidistin fratrem Chaream? Do. non. Ph. non potest sine

Malo fateri, video: sequere hanc: modo ait, modo negat.

Ora me. Do. obsecro te verò Phædria. Ph. i intro. Do. hoi, hei.

Ph. Alio pacto honestè quo modo hinc abeam, nescio:

Actum est siquidem. tu me hìc etiam nebulo ludificabere?

Py. Parmenonis tam scio esse hanc technam, quàm me viuere.

Do. Sice est. Py. inueniam hodie parem vbi pol. referam gratiam.

Sed nunc quid faciendum censes Dorias? Do. de istac rogas

Virgine? Py. ita, vtrū taceam ne, an prædicē? Do. tu pol. si sapias,

Quod scis, nescis, neque de eunucho, neque de vitio virginis:
Hac re omni te turba euolues, & illi gratum feceris.

Id modò dic, abisse Dorum. Py. ita faciam. Do. sed videon' Chremem?

Thais iam aderit. Py. quid ita? Do. quia cum inde abeo,
iam tum incæperat

Turba inter eos. Py. aufer aurum hoc: ego scibo ex hoc
quid fiet.

ACTVS QVARTI SCENA V.

ARGVMENTVM,

A cœna militis vino semigrauis egreditur Chremes adolescens:
in cuius persona Terentius exprimit egregiè temulentorum consuetudinem, qui priorum memores, in præsentibus titubant.

CHREMES. PYTHIAS.

C. A Tat, data hercle verba mihi sunt: vicit vinum quod bibi.
Ac dum accubabam, quàm videbar mihi esse pulchrè
sobrius!

Postquam surrexi, neque pes, neque mens satis suum officium
facit.

P. Chreme. C. quis est? ehem Pythias, vah quāto nunc formosior
Vidère mihi, quàm dudū! P. certè tu quidē pol multo hilarior.
Verbum hercle hoc verum est, SINE CERERE & Libero
friget Venus.

Sed Thais multo antè venit? P. an abiit iam à milite?

C. Iandudum atatem lites sunt inter eos factæ maxumæ.

P. Nihil dixit tū, vt sequerere sese? C. nihil, nisi abiēs mihi innuit.

P. Eho, nōne id saterat? C. at nesciebā id dicere illam, nisi quia
Correxerit miles quod intellexi minus: nam me extrusit foras.

Sed eccam ipsam: miror vbi ego huic antenuerim.

Sed eccam ipsam: miror vbi ego huic antenuerim.

He or me antenuerim

53332225

*7450901
3235308
2352925*

39379823

TERENTII
ACTVS QVARTISCENA VI.
ARGVMENTVM,

Colloquuntur Thais & Chremes: contra militem se muniunt, quem venturum putant, vt virginem eripiat. Timidior hic Chremes inducitur, quàm Thais.

THAIS. CREMES. PYTHIAS.

T. C. Redo equidem illum iam affuturum esse, vt illam à me eripiat: sine

Vt veniat: atqui si illā digito attigerit vno, oculi ilico effodiētur: Vsq̃ue aded̃ ego illius ferre possū ineptias, & magnifica verba, Verba dum sint: verum enim si ad rē conferentur, vapulabit.

C. Thais, ego iandudum hīc adsum. T. ô mi Chreme, te ipsum expectabam.

Sciñ tu turbam hanc propter te esse factam? & aded̃ ad te attinere hanc

Omnem rem? C. ad me? quī? quasi istuc. T. quia dum tibi sororem studeo

Reddere & restituere, hac atque huiusmodi sum multa passa.

C. Vbi est? T. domi apud me. C. hem. T. quid est?

Educta ita vti tēque illāque dignum est. C. quid ais? T. id quod res est.

Hanc tibi dono do, neque repeto pro illa abs te quicquam pretij.

C. Et habetur & refertur Thais à me, ita vti merita es, gratia.

T. At enim caue ne prius, quàm hanc à me accipias, amittas Chreme.

Nam hac ea est, quam miles à me vī nunc ereptum venit.

Abitu, cistellam Pythia domo effer cum monumentis.

C. Vidē tu illū Thais? P. vbi sita est? T. in risco: odiosa cessas?

C. Militem secum ad te quantas copias adducere?

At at. T. num formidolosus obsecro es mi homo? C. apagēsi:

Ego formidolosus? nemo est hominum, qui viuat, minus.

T. Atque ita opus est. Ch. hau metuo, qualem tu me esse hominem existumes.

T. Imò hoc cogitato, quicum res tibi est, peregrinus est, Minus potens quàm tu, minus notus, amicorū hīc habēs minus.

C. Scio istuc: SED TV quod cauere possis, stultum admittere est. Malo ego nos prospicere, quàm hunc vlisci accepta iniuria. Tu abi, atque ostium obsera intus, ego dum hinc transcurro ad forum:

Volo ego adesse hīc aduocatos nobis in turba hac. T. mane.

C. Melius est. T. mane. C. omitte, iam istic adero. T. nihil opus est istis Chreme.

Hoc dic modò, sororem illam tuā esse, & te paruam virginem

Amisisse, nunc cognosse: signa ostende. P. adsunt. T. cape.

Si vim faciet, in ius ducito hominem: intellextin? C. probè.

T. Fac animo hæc præsentī dicas. C. faciam. T. attolle pallium. Perij. huic ipsi est opus patrono, quem defensorem paro.



ACTVS QVARTI SCENA VII.

ARGVMENTVM,

Inepti militis vanitatem optime hīc exprimit Terentius, cum furenti similis ad amicam, tanquam ad hostilem pergit exercitum.

THRASO. GNATO. SANGA seruus Thrasonis.
CHREMES. THAIS.

Thr. H Ancine ego vt contumeliam tam insignem in me accipiam, Gnato?

Mori me satius est. Simalio, Donax, Syrisce, sequimini:

C. iij.

Primum adeis expugnabo. G. recté. Thr. virginem eripiam.
G. probé.

Thr. Malè multabo ipsam. G. pulchré. Thr. in mediū huc agmen
cum vecti Donax:

Tu Simalio in sinistrum cornu, tu Syrisce in dexterum.

Cedò alios: vbi centurio est Sanga, & manipulus furum? S.
eccum adest.

Thr. Quid ignaue? peniculone pugnare, qui istuc huc portes, co-
gitas?

S. Egone? imperatoris virtutem noueram, & vim militum:
Sine sanguine hoc fieri non posse, qui abstergerem vulnera.

Thr. Vbi alij? S. qui (malum) alij? solus Sannio seruat domum.

Thr. Tu hosce instrue: hic ego ero post principia: inde omnibus si-
gnum dabo.

G. Illuc est sapere. vt hosce instruxit! ipse sibi canit loco.

Thr. Idem hoc iam Pyrrhus factitauit. Ch. vidén tu Thais quam
hic rem agit?

Nimirum consilium illud rectum est de occludendis adibus.

Tha. Sanè quòd tibi nunc vir videatur esse, hic nebulo magnus est:

Ne metuas. Thr. quid videtur? G. fundam tibi nunc nimis
vellem dari,

Vt tu illos procul hinc ex occulto cederes: facerent fugam.

Thr. Sed eccam Thaidem ipsam video. G. quàm mox irruimus?

Thr. mane:

OMNIA PRIUS experiri, quàm armis, sapientem decet.

Quis scis, an quæ iubeam, sine vi faciat? G. Di vestram fidem,

Quanti est sapere! nunquã accedo, quin abs te abeã doctior.

Thr. Thais, primum hoc mihi responde, cum tibi do istam virginem,
Dixtin mihi hos dies soli dare te! Tha. quid tum postea? Thr.
regitas,

Quæ mihi ante oculos amatorem coram adduxti tuum?

Tha. Quid cum illo agas? Thr. & cum eo clam subduxite mihi?

Tha. Libuit. Thr. Pamphilam ergo huc redde, nisi vi mauis eripi.

Ch. Tibi illā reddat? aut tu eam tāgas, omniū! G. ah, quid au? tace.

Ch. Quid tu tibi vis? Thr. ego non tangam meam? Ch. tuam autem furcifer?

G. Caue sis, nescis cui maledicas nunc viro. Ch. non tu hinc abis? Scin tu, vt tibi res sese habeat? si quicquam hodie hic turbæ cæperis,

Faciam vt huius loci, dieique, meique semper memineris.

G. Miseret tui me, qui hunc tantum hominē facias inimicum tibi.

Ch. Diminuam ego caput tuum hodie, nisi abis. G. ain' verò canis? Siccine agis? Thr. quis tu homo es? quid tibi vis? quid cum illa rei tibi est?

Ch. Scibis: principio eam esse dico liberam. Thr. hem. Ch. ciuem Atticam. Thr. hui.

Ch. Meam sororem. Thr. os durum. Ch. miles, nūc adeò edico tibi, Ne vim facias vllam in illam. Thais, ego ad Sophronam eo Nutricem, vt eam adducam, & signa ostendam hæc. Thr. tūn me prohibeas

Meam ne tangam? Ch. prohibeo inquam. G. audin' tu? hic furti se alligat.

Ch. Satis hoc est tibi. Thr. idem hoc tu ais Thais? Th. quære qui respondeat.

Thr. Quid nunc agimus? G. quin redeamus: iam hæc tibi aderit supplicans

Vltro. Thr. credin'? G. imò certè. noui ingenium mulierum:

Nolunt, vbi velis: vbi nolis, cupiunt vltro. Thr. bene putas.

Iam dimitto exercitiū? Thr. vbi vis. G. Sanga, vti fortes decet C. iij.

523932

023

3

Milites, domique focique fac vicissim vt memineris.
S. Iandudum est animus in patinis. G. frugi es. Thr. vos me
hac sequimini.

ACTVS QVINTI SCENA I.

ARGVMENTVM,

Ex Pythia ancilla Thais à Chærea vitiatam cognoscit
 Pamphilam.

THAIS. PYTHIAS.

- Th. **P** Ergin' scelesta mecum perplexè loqui?
Scio, nescio, abiit, audiui, ego non adfui.
Non tu istuc mihi dictura aperte es, quicquid est?
Virgo conscissa veste lachrumans obtinet.
Eunuchus abiit, quamobrem? quid factum est? taces?
 P. *Quid tibi ego dicam misera? illum, eunuchum negant*
Fuisse. T. quis fuit igitur? P. iste Chærea.
 T. *Qui Chærea? P. iste ephebus, frater Phædria.*
 T. *Quid ais venefica? P. atqui certò comperi.*
 T. *Quid? is obsecro ad nos, aut quamobrem adductus est? P. nescio,*
Nisi amasse credo Pamphilam. T. hem, misera occidi.
Infelix, si quidem tu istac vera prædicas:
Num id lachrumat virgo? P. id opinor. T. quid ais sacrilega?
Istuccine interminata sum hinc abiens tibi?
 P. *Quid facerem? ita vt tu iusti, soli credita est.*
 T. *Scelesta, OVEM LVPO commisisti. dispuder*
Sic mihi data esse verba. quid hominis illic est?
 P. *Hera mea tace, tace obsecro, saluæ sumus:*
Habemus hominem ipsum. T. ubi is est? P. hem, ad sinistram
vidés-

- Ne? T. video. P. comprehendi iube, quantum potest.
 T. Quid illi faciemus stulta? P. quid faciam, rogas!
 Vide amabo, si non cum aspicias, os impudens
 Videtur. T. non est. P. tum quæ eius confidentia est!

ACTVS QVINTI SCENA II.

ARGVMENTVM,

Thais cum Chærea contendit ob vitiatam Pamphilam: deinde
 condonat noxam petenti vxorem, quam vitiauerat.

CHÆREA. THAIS. PYTHIAS.

- C. A Pud Antiphonem vterque, mater & pater,
 Quasi dedita opera domi erant, vt nullo modo
 Introire possem, quin viderent me interim
 Dum ante ostium sto, notus mihi quidam obuiam
 Venit: vbi vidi, ego me in pedes, quantum queo,
 In angiportum quoddam desertum: inde item
 In aliud, inde in aliud: ita miserrimus
 Fui fugitando, ne quis me cognosceret.
 Sed estne hæc Thais, quam video? ipsa est: hæreo.
 Ah, quid faciam? quid mea autem? quid faciet mihi?
 T. Adeamus bone vir Dore, salue: dic mihi,
 Aufugistin? C. hera factum. T. sat in id tibi placet?
 C. Non. T. credin te impune abiturum? C. vnâ hanc noxiam
 Mitte: si aliam vnquam admisero vllam, occidito.
 T. Num meam seuitiam veritus es? C. non. T. quid igitur?
 C. Hanc metui, ne me criminaretur tibi.
 T. Quid feceras? C. paululû quiddâ. T. oho paululû, impudens!
 An paululum hoc esse tibi videtur, virginem
 Vitare ciuem? C. conseruam esse credidi.

- P. Conseruam! vix me contineo quin inuolem in
Capillum: monstrum, etiam vltro derisum aduenit.
- T. Abihinc insana. P. quid ita verò? debeam
Credo isti quicquam furcifero, si id fecerim:
Præsertim cum se seruum fateatur tuum.
- T. Missa hac faciamus. non te dignum Cherea
Fecisti: nam si ego digna hac contumelia
Sum maxumè, at tu indignus qui faceres tamen.
Neque adeo pol, quid nunc consilij capiam, scio
De virgine istac: ita conturbasti mihi
Rationes omnes, vt eam non possim suis,
Ita vt æquum fuerat, atque vt studui, tradere:
Vt solidum parèrem hoc mihi beneficium Cherea.
- C. At nunc dehinc spero æternam inter nos gratiam
Fore Thais: sepe ex huiusmodi re quapiam, & ex
MALO principio, magna familiaritas
Conflata est. quid si hoc quispiam voluit deus?
- T. Equidem pol in eam partem accipioque & volo.
- C. Imò ita quaeso. vnum hoc scito, contumelia
Non me fecisse causa, sed amoris. T. scio:
Et pol propterea magis nunc ignosco tibi.
Non adeò inhumano ingenio sum Cherea,
Neque tam imperita, vt quid amor valeat, nesciam.
- C. Te quoque iam Thais, ita me Di bene ament, amo.
- P. Tum pol tibi ab istoc hera cauendum intellego.
- C. Non ausim. P. nihil tibi quicquam credo. T. desinas.
- C. Ego me tuæ commendo & committo fidei.
Nunc ego te in hac re mihi oro vt adiutrix sies.
Te mihi patronam cupio Thais, te obsecro:

- Emoriar, si non hanc uxorem duxero.
- T. Tamen si pater. Ch. ah, quid? volet, certò scio:
Cuius modò hac sit. T. paululum opperirier
Si vis, iam frater ipse hìc aderit virginis:
Nutricem accersitum ijt, quæ illam aluit parvulam.
In cognoscendo tute ipse aderis Charea.
- C. Ego verò maneo. T. visne interea, dum is venit,
Domi opperiamur potius, quàm hìc ante ostium?
- C. Imò percipio. P. quam tu rem actura obsecro es?
- T. Nam quid ita? P. rogitas? hunc tu in adeis cogitas
Recipere posthac? T. cur non? P. crede hoc meæ fidei,
Dabit hìc aliquam pugnam denuo. T. hau, tace obsecro.
- P. Parùm perspexisse eius videre audaciam.
- C. Non faciam Pythias. P. non pol credo Charea,
Nisi si commissum non erit. C. quin Pythias
Tu me seruato. P. neque pol seruandum tibi
Quicquam dare ausim, neque te seruare: a page te.
- T. Adest optumè ipse frater. C. perij hercle, obsecro
Abeamus intrò Thais: nolo me in via
Cum hac veste videat. T. quamobrem tandè? an quia pudet?
Idipsum. P. idipsum. virgo verò? T. i-præsequor.
- T. Tu istic mane, vt Chremem introducas, Pythias.

ACTVS QVINTI SCENA III.

ARGVMENTVM,

Pythias secum cogitat quo dolo Parmenonem vlcisci possit.

PYTHIAS. CHREMES. SOPHRONA nutrix.

Py Q Vid? quid venire in mentem nunc possit mihi,
Quidnam, quò referam illi sacrilego gratiam,

*Qui hunc supposuit nobis? C. moue verò ocyus
Te nutrix. S. moueo. C. video, sed nihil promoues.*

P. Iam ne ostendisti signa nutrici? C. omnia.

P. Amabo, quid ait? cognoscit ne? C. ac memoriter.

P. Bene adepol narras: nam illi faueo virgini.

Ite intro: iandudum hera vos expectat domi.

Virum bonum eccum Parmenonem incedere

Video. vide vt otiosus sit, si Dis placet.

Spero me habere, qui hunc meo excruciem modo.

Ibo intrò, de cognitione vt certum sciam:

Post exibo, atque hunc perterrebo sacrilegum.

ACTVS QVINTI SCENA IIII.

ARGVMENTVM,

Gloriatur Parmeno, quòd Chaream pro eunucho ad Thaidem deduxerit. Meretricum sordes commemorat: quam rem iniquo fert animo Pythias.

PARMENO. PYTHIAS.

*Pa. R. Euiso quidnam Chareahic rerum gerat.
Quòd si astu rem tractauit, Di vostram fidem,
Quantam & quàm veram laudem capiet Parmeno!
Nam vt omittam, quòd ei amorem difficillimum &
Charissimum ab meretrice auara, virginem
Quam amabat, eam confeci sine molestia,
Sine sumptu, sine dispendio: tum hoc alterum,
Id verò est quod mihi puto palmarium,
Me reperisse, quo modo adolescentulus
Meretricum ingenia & mores posset noscere:
Maturè vt cum cognorit, perpetuò oderit.*

*Quæ dum foris sunt, nihil videtur mundius,
Nec magis compositum quicquam, nec magis elegās.*

Quæ cum amatore suo quum cenant, ligariunt.

Harum videre ingluuiem, sordes, inopiam,

Quàm inhonestæ solæ sint domi, atque avidæ cibr:

Quo pacto ex iure hesterno panem atrum vorent:

Nosse omnia hæc, salus est adolescentulis.

Py. Ego pol te pro istis dictis & factis, scelus,
Vlciscar: vt ne impunè in nos illuseris.

ACTVS QVINTI SCENA V.

ARGVMENTVM,

20 Parmenonem terret Pythias, confingens intus colligatum à Chremete Chæream, propter oblatum Pamphilæ vitium.

PYTHIAS. PARMENO.

Py. **P** Rob fidem deum, facinus fædū! ô infelicem adolescentulum!
O scelestū Parmenonē, qui istū huc adduxit! Pa. quid est?

Py. Miseret me: itaque, vt ne viderem, misera huc effugi foras.
Quæ futura exempla dicunt in eum indigna! Pa. ô Iuppiter,
Quæ illecturba est? numnam ego perij? adibo. quid istuc Py-
thias?

Quid ais? in quem exempla fient? Py. rogitas audacissime?
Perdidisti istum, quem adduxti pro eunucho adolescentulum,
Dum studes dare verba nobis. Pa. quid ita? aut quid factum
est? cedo.

Py. Dicam. virginem istam, Thaidi hodie quæ dono data est,
Scin' eam hinc ciuem esse, & eius fratrem apprimè nobilem?

Pa. Nescio. Py. atqui sic inuenta est. eam iste vitiauit miser.
Ille vbi id rescivit factum frater violentissimus,

3 999

2

Pa. Quidnam fecit? Py. colligauit primum eum miseris modis.

Pa. hem,

Colligauit! Py. atque equidem orante, vt ne id faceret, Thaide.

Pa. Quid ais? Py. nunc minatur porro sese id quod mæchis solet:
Quod ego nunquam vidi fieri, neque velim. Pa. qua audacia
Tantum facinus audet? Py. quid ita tantum? Pa. an non
hoc maximum est?

Quis homo pro mæcho vnquam vidit in domo meretricia
Deprehendi quenquā? Py. nescio. Pa. ac ne hoc nesciatis,
Pythias,

Dico, edico vobis, nostrum esse illum herilem filium. Py. hem,
Obsecro an is est? Pa. ne quam in illum Thais vim fieri sinat:
Atque adeo autem cur non egomet intrò eo? Py. vide Parmeno
Quid agas, ne neque illi prosis, & tu pereas. nam hoc putant,
Quicquid factum est, ex te esse ortum. Pa. quid igitur fa-
ciam miser?

Quid ve incipiam? ecce autem video rure redeuntem senem.
Dicam huic, an non? dicam hercle, etsi mihi magnum malum
Scioparatum: sed necesse est, huic vt subueniat. Py. sapis.
Ego abeo intrò: tu isti narrato omnem rem ordine, vt factū fiet.

ACTVS QVINTI SCENA VI.

ARGVMENTVM,

A villa otioso & quieto redit ad urbē animo hic senex: neque enim mores suorum clamat: neque mali quippiā suspicatur: sed rusculo suo gratias agit, cuius beneficio ignorat, quid in vrbe agant filij: quorum amores & facta nunc demum cognoscit ex Parmenone.

LACHES. PARMENO.

L. EX meo propinquo rure hoc capio commodi:
Neque agri neque vrbis odium me vnquam percipit.

Vbi satias cœpit fieri, commuto locum.

Sed estne ille noster Parmeno? & certè ipse est.

Quem præstolare Parmeno hîc ante ostium?

P. *Quis homo est? ehem, saluum te aduenire here gaudeo.*

L. *Quem præstolare? P. perij: lingua hæret metu. L. hem,*

Quid est quod trepidas? satis ne salue? dic mihi.

P. *Here, primùm te arbitrari quod res est, velim:*

Quicquid huius factum est, culpa non factum est mea.

L. *Quid? P. rectè sanè interrogasti: oportuit*

Rem prænarraſſe me. emit quendam Phædria

Eunuchum, quem dono huic daret. L. cui? P. Thaidi.

L. *Emit? perij hercle. quanti? P. viginti minis.*

L. *Actum est. P. tum quandam fidicinam amat hic Charea.*

L. *Hem, quid? amat? an scit iam ille quid meretrix fiet?*

An in astu venit? aliud ex alio malum.

P. *Here, ne me spectes: me impulsore hac non facit.*

L. *Omitte de te dicere: ego te furcifer,*

Si viuo. sed istud quicquid est, primùm expedi.

P. *Is pro illo eunucho ad Thaidem hanc deductus est.*

L. *Pro eunuchon? P. sic est. hunc pro mæcho postea*

Comprehendere, & constrinxere. L. occidi.

P. *Audaciam meretricum specta. L. nunquid est*

Aliud mali, damniue, quod non dixeris,

Reliquum? P. tantum est. L. cesso huc intrò irrumpere?

P. *Non dubium est quin mihi magnum ex hac re sit malum:*

Nisi, quia necesse fuit hoc facere, id gaudeo,

Propter me hisce aliquid esse euenturum mali.

Nam iandiu aliquam causam querebat senex,

Quamobrem insigne aliquid faceret, is nunc repperit.

22

293223

200

22

T E R E N T I I
A C T V S Q V I N T I S C E N A V I I .
A R G V M E N T V M ,

Pythias egrediens irridet Parmenonem plus satis credulum: simul populum docet, quid intus egerit senex.

P Y T H I A S . P A R M E N O .

Py. **N**unquam adepol quicquam iandiu quod magis vellem euenire,

Mihi euēnit, quāmodò modò senex intrò ad nos venit errās,
Mihisola ridiculo fuit, quæ quid timeret sciebam.

Pa. Quid hoc autem est? Py. nunc id prodeo, ut conueniam Parmenonem:

Sed ubi obsecro est? Pa. mén' querit hac? Py. atque eccum video: adibo.

Pa. Quid est inepta? quid tibi vis? quid rides? pergin? Py. perij,
Defessa iā sum misera de te ridendo. Pa. quid ita? Py. rogitas?
Nunquam adepol hominem stultiorem vidi, nec videbo: ah,
Non possum satis narrare quos ludos præbueris intus:
At etiam primò callidum & disertum credidi hominem.

Pa. Quid? Py. ilicōne credere ea quæ dixi, oportuit te?
An pænitebat flagitiū, te auctore quod fecisset
Adolescens, ni miserum insuper etiam patri indicares?
Nam quid illi credis animum fuisse, ubi vestem vidit
Illam esse eum indutum pater? quid est? iam scis te periūsse?

Pa. Hem, quid dixti pessuma? an mentita es? etiam rides?
Itā ne lepidum tibi visum est, scelus, nos irridere? Py. nimium.

Pa. Siquidem istuc impune habueris. Py. verum? Pa. reddam
hercle. Py. credo:

Sed in diem istuc Parmeno est fortasse, quod minutare.
Tu iam pendebis, qui stultum adolescentulum nobilitas

Flagitijs, & eundem indicas: vterque in te exempla edent.

Pa. Nullus sum. Py. hic pro illo munere tibi honos est habitus: abeo.

Pa. Egomet meo indicio miser, quasi forex, hodie perij.

ACTVS QVINTI SCENA VIII.

ARGVMENTVM,

Statuit hic miles vltro se dedere Thaidi, Herculis exemplo, qui Omphale seruiuit in lanificio, pro claua & leonis tegmine, acceptis ab ea calathò & colu.

GNATO. THRASO.

G. **Q**uid nunc? qua spe, aut quo consilio huc imus? quid incæptas Thraso?

T. Egone? vt Thaidi me dedam, & faciam quod inbeat. G. quid est?

T. Quam minus, quàm Hercules seruiuit Omphale? G. exemplum placet.

Vtinam tibi commitigar i videam sandalio caput.

Sed fores crepuere ab ea, perij. T. quid hoc autem est mali?

Hunc ego nunquam videram: & iam hic quidnam prope-rans profilijt?

ACTVS QVINTI SCENA IX.

ARGVMENTVM,

Qui aliàs gaudebat à se vitiatam puellam Chærea, eadem quòd permissu fit parentis habiturus vxorem, nunc exultat. Et in partē amoris recipitur à Thaide miles Thraso.

CHÆREA. PARMENO. PHAEDRIA.

GNATO. THRASO.

G. **O** Populares, ecquis me viuuit hodie fortunatio?

Nemo hercle quisquā: nā in me planè Di potestatē suam D.i.



33309532

3092

1252383093

22232

Omnem ostendere, cui tam subito tot congruerint commoda.

Pa. Quid hic latus est? C. ô Parmeno mi, ô mearum voluptatum omnium

Inuentor, inceptor, perfector: scin' me in quibus sim gaudijs?

Scis Pamphilam meam inuentam ciuem? Pa. audiui. C. scis sponsam mihi?

Pa. Bene, ita me Dî ament, factum. Gn. audin' tu illum quid ait? C. tum autem Phædria

Meo fratri gaudeo amorem esse omnem in tranquillo: vna est domus:

Thais patri se commendauit in clientelam, & fidem:

Nobis dedit se. Pa. fratris igitur Thais tota est? C. scilicet.

Pa. Iam hoc aliud est quod gaudeamus: miles pellitur foras.

C. Tum tu, frater ubi ubi est, fac quamprimum hæc audiat.

Pa. visam domum.

T. Nunquid Gnato dubitas, quin ego perpetuò perierim? G. sine Dubio, opinor. C. quid commemorem primum, aut laudem maxumè?

Illum, qui mihi dedit consiliū vt facerem: an me, qui ausus sim Incipere? an fortunam collaudem, quæ gubernatrix fuit:

Quæ tot res, tantas, tam opportunè in vnum conclusit diem?

An mei patris festiuitatem & facilitatem? ô Iuppiter,

Serua obsecro hæc nobis bona. Ph. Dî vestram fidem, incredibilia

Parmeno modò quæ narrauit. sed ubi est frater? C. præsto adest.

Ph. Gaudeo. C. satis credo, nihil est Thaïde hac tua, frater, dignius Quod ametur: ita nostræ est omni faulrix familiae. P. hui mihi

Illam laudas? Thr. perij: quanto minus spei est, tãto magis amo.
 Obsecro Gnato: in te spes est. G. quid vis faciã? T. perfice hoc
 Precibus, pretio, vt heream in parte aliqua tandem apud
 Thaidem.

G. Difficile est. T. siquid collibuit, noui te. hoc si effeceris,
 Quoduis donum, & premium à me optato: id optatum feres.

G. Itãne? T. sicerit. G. si hoc efficio, postulo vt mihi tua domus
 Te præsente absente pateat: inuocato vt sit locus

Semper. T. do fidem ita futurum. G. accingar. Ph. quem
 hinc ego audio?

O Thraso. T. saluete. P. tu fortasse facta quæ hinc sint,
 Nescis? T. scio. Ph. cur te ergo in his ego cõspicor regionibus?

T. Vobis fretus. Ph. scin' quàm fretus? miles, edico tibi,
 Si in platea hac te offendero post vnquam, nihil est quod di-
 cas mihi,

Aliud querebam: iter hac habui. perijsti. G. eia haud sic decet.

Ph. Dictum est. G. non cognosco vestrum tam superbũ. Ph. sicerit.

G. Prius audite paucis: quod cum dixero, si placuerit,
 Facitote. Ph. audiamus. G. tu cõcede paululũ istuc Thraso.

Principiò, ego vos credere ambos hoc mihi vehementer velim,

Me huius quicquid facio, id facere maximè causa mea:

Verũ idem si vobis prodest, vos non facere, inscitia est.

Ph. Quid id est? G. militèriualet ego recipiendũ censeo. Ph. hem,

Recipiendum! G. cogita modò, tu hercle cum illa Phadria,

Et libenter vinis: etenim bene libenter victuras:

Et quod des, paululũ. & necesse esse multũ accipere Thaidem,

Vt tuo amori suppeditari possit sine sumptu tuo.

Ad omnia hæc magis opportunus, nec magis ex vsu tuo

Nemo est: principio & habet quod det, & dat nemo largius.

D. ij.

Fartus est, insulsus, tardus: stertit noctesque, & dies.

Neque istum metuas ne amet mulier: facile pellas ubi velis.

Ph. Quid agimus? G. prater ea hoc etiā, quod ego vel primū puto,
Accipit hominem nemo melius prorsus, neque prolixius.

C. Mirū, ni illoc homine quoquo pacto opus est. Ph. idem arbitror.

G. Rectē facitis. vnum etiā hoc vos oro, ut me in vestrum gregem
Recipiatis: satis diu hoc iam saxum voluo. Ph. recipimus.

C. Ac libenter. G. at ego pro iam isthoc, Phadria, & tu Charea,
Hunc comedendū & deridendū vobis propino. C. placet.

Ph. Dignus est. G. Thraso, ubi vis accede. T. obsecro te, quid
agimus?

G. Quid? isti te ignorabant: postquam eis mores ostendi tuos,
Et collaudavi secundum facta & virtutes tuas,

Impetraui. T. bene fecisti, gratiam habeo maximam.

Nunquam etiā fui vsquam, quin me omnes amarent plurimū.

G. Dixi ego in hoc esse vobis Atticam eloquentiam?

Ph. Nihil pratermissum. G. ite hac omnes.

CALLIOPIVS,

Vos valete, & plaudite.

